

Hermann Christoph Engelken

**Cum Vir ... Dn. Nicolaus Reuterus, ICTus, ac Sereniss. Ducis Meklenburgici
Consiliarius Fiscalis ... Vidua moestissima, ac Liberis Luctuosissimis, Tumulo,
Anno MDCCXXI. die XVI. Decembr., inferendum esset, Publico Hocce
Programmate ... Cives Academicos ... vocare & invitare voluit**

Rostochii: Wepplingius, 1721

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770336965>

Druck Freier  Zugang




Engelcken, H. C.


in

N. Reuter.

Rostock, 1721.

36





CUM
*VIR Præ-Nobilissimus, Amplissimus, atque
Consultissimus*

**DN. NICOLAUS
REUTERUS,**



Idus, ac Sereniss. Ducis Meklenburgici
Consiliarius Fiscalis meritissimus, ac spectatissimus,
Pie decessisset,

EJUSQUE CORPUS EXANIME,

Ita æsequiarum, inter innumeras lacrymas, parantibus
**VIDUA MOESTISSIMA, ac LIBERIS
LUCTUOSISSIMIS,**

Tumulo, Anno MDCCXXI. die XVI. Decembr.,
inferendum esset,

PUBLICO HOCCE PROGRAMMATE

Ex officii ratione

Ad persolutionem ultimi honoris, ac frequentem funeris deductionem,
CIVES ACADEMICOS, O. O. HONORATISSIMOS FULGI-
DISSIMOSQUE, OMNI DILIGENTIA & HUMANITATE
vocare & invitare voluit

HERM. CHRISTOPH.
ENBCELRN/

S. S. Theol. Doct. Ejusque Prof. Publ. Ordinar. & ad
Ædem. Joh. Past.

h. t. ACADEMIÆ ROSTOCH. RECTOR.

ROSTOCHII, Typis JOH. WEPPLINGI, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.

VIR P. Nobilissimus, Augustinus, regius
Coadiutor

DR. NICOLAUS REUTERUS

Medicus ac Chirurgus Ducis Mecklenburgici
Coadiutor



ERGO CORPUS EXAMINARE
VITAE MORTUOSISSIMAE ac LIBERIS
LUCTUOSISSIMIS

Tarvisi Anno MDCCLXXI die XVI Decembris

PUBLICO HOEC PROGRAMMATE
P. O. M. P.

ACADEMIAE ROSTOCKENSIS
P. O. M. P. HONORATISSIMOS TUOS
DISSERTATIONE OMNI DILIGENTIA & HUMANITATE
FOVETE ac suscite vestros

HERM. CHRISTOPH.

2. 3. Theol. Doct. Ludov. Post. Publ. Ordin. & ad
Rostocki Typogr. Joh. Benningh. 1771

ROSTOCKI Typogr. Joh. Benningh. 1771



Edro digna sunt ver-

ba beatissimi Gentium Doctoris, ita sonantia *i. Tim. I. 18: Hoc mandatum commendo tibi, Fili Timothee, juxta praegressas de te Prophetias, ut milites in illis (Seu: per illas) bonam militiam. Jubet prae-* laudatus Vir DEI Filium suum

spiritualem, *Timotheum*, ut fretus atque allectus variis praedictionibus, sui causa factis, strenuum agat militem, bellaque Domini, tanquam Athleta fortissimus ac Minister DEI fidelissimus, contra Satanam, ejusque regnum rite gerat. In Graeco habetur: *ἵνα κρατέῃς τὴν καλὴν στρατείαν*, id quod *B. Lutherus* ita exprimere amavit: *Dasß du eine gute Ritterschafft übest; Clericus autem dans le nouveau Testament h. l. p. m. 250. vertere voluit: que vous vous acquitiez des devoirs d'un fidele Soldat dans cette bonne milice.* Equidem exercitium bonae militiae hic injungitur *Timotheo*, ecclesiae Doctori, ac Apostoli *Pauli* Cooperario dignissimo, de quo ipse *Paulus* *i. Cor. XVI. 10. opus Domini, ait, operatur, sicut etiam ego; idem tamen mandatum suo modo ad reliquos quoque fideles, etiamsi non Doctores, sed tantum Auditores fuerint, quadrare in Solis jacet disco, quandoquidem & illi se milites christianos praebere, ac strenuam militiam militare tenentur. Annon enim patientiae exemplar illustrissimum, Jobus, ingenue erumpit Cap. VII. 2. Nonne militia homini est super terra? Annon vas Dei electum, Paulus, commendat πανοπλίαν τῆς Θεοῦ, i. e. universam armaturam DEI Eph. VI. 11.? Annon exclamat ibi: Induite armaturam DEI ad hoc, ut possitis*

A 2

vos

vos stare contra insidias Diaboli. Annon iterata ingeminat vice v. 13. ? *Accipite armaturam DEI.* Annon 2. Cor. X. 4. arma militiae spiritualia collaudat ? inquit : *Arma militia nostra* (B. Lutherus : *Die Waffnen unse- rer Ritterschafft*) *non sunt carnalia, sed potentia DEO ad destructionem munitionum.* Et quid mirum, omnibus veris Christianis militiam commendari, fortitudinem imperari, certamen praecipere ? Hostibus sane undiquaque cincti sumus infensissimis, nempe Diabolo, mundo, ac carne nostra, quorum conatus perpetui eo tendunt, ut nos prosternant, pessudent, perimant. Hinc vigilandum. Hinc excubiae agendae. Hinc certandum. Hinc confligendum. Hinc arma nunquam deponenda. Huc enim pertinet, quod *Mantuanus* alicubi canit :

Certandum est, nulli veniunt sine Marte triumpho,

Et nisi certanti nulla corona datur.

Legi hic meretur *D. Wolfgangus Mamphrasius in Praxi Theologica, seu Panoplia & militia christiana.* Memoriam haec meam subierunt, cum ultimum honorem persolvere debui *Viro*, dum viveret, *Pra-Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo, DN. NICOLAO REUTERO, Jcto* atque *Consiliario Fiscali fulgidissimo, meritissimo.* Hic quippe & nomine & omine miles extitit christianus, bonam militans militiam (*Ritterschafft*). Pontificiorum chorus solet *Equitem* aliquem perstreuum, nempe *Georgium*, sibi gratulari. Sicuti enim in fingendis ex cerebro suo variis Sanctis, qui nunquam in rerum natura fuerunt, admodum felices sunt, uti vivis documentis in apuricum deduxit *Gisbertus Voëtius in de Sanctis chimericis disp., Disp. Select. Tom. III. disp. 32, p. m. 472. sqq.* Adde, ex ipsis Pontificiis, *Babilonium de cultu sanctorum ignotorum*; Ita quoque memoratum *Equitem*

tem, *Georgium*, Promachus ille Romanensis, *Bellarminus*, *Lib. I. de Ecclesia triumphante Cap. XX.*, multique alii, mirandum nobis propinant, Fabulantur nimirum, eundem armatum, & equo insidentem, cum immani Dracone, ad liberandam Filiam quandam Regis, acriter, sed tam feliciter, decertasse, ut Draconem hasta transfixerit, sicque virginem istam ex potestate Draconis eripuerit, & in exoptatam asseruerit libertatem. At vero pudet ipsos saniores Pontificios commentum tam pudendi. Ex veteribus *Baronius in Martyrologio Romano April. 23. Pictura illa S. Georgii*, inquit, *qua effingitur eques armatus, qui hasta cuspide Draconem interfecit, juxta quem etiam virgo posita manus supplices tendens imploret auxilium, Symboli potius, quam alicujus historia, opinor esse expressam imaginem, in nullis enim Georgii actis antiquis quicquam istiusmodi legitur, sed a Jacobo de Voragine, absque aliqua majorum autoritate, ea ad historiam referuntur, qua potius typum exprimunt.* Ex recentissimis *Anonymus in dem Heiligen Lexico col. m. 784. Georgium hunc pro Martyre Seculi quarti habet, mox adjiciens: Man mahl't Ihn allezeit geharnischt zu Pferde sitzend / und unter ihm einen Drachen / den er mit einem Speer tödte / da denn einige wissen wollen / er habe eine Jungfrau von einem Drachen erlöset / andere aber / Er habe eine Stadt gegen den Teuffel geschüzet / welches aber NB. eitel ungegründete Erzehlungen sind / gleichwie auch allen von ihm verhandenen Actis nicht viel Glauben bezumessen ist.* Mirum itaque est, fictum & pictum hunc *Georgium* in Papatu pro Patrono Equitum venditari, monente *Apologia A. C. p. 229.*; mirum est, in honorem ipsius festum peculiare institutum, templaque exstructa esse, *Vid. B. Joh. Andr. Schmidium*

de Historia Sec. III. fabella maculata p. 41. ; mirum pariter est, Equitis hujus tutelam ardentissimis implorari precibus, sequentem in modum: *Hic nos salvet a peccatis, ut in caelo cum beatis possimus quiescere, uti allegat E. Jo. Gerhardus Loc. de morte §. 417. LL. CC. Tom. IX. p. 551. Conf. Kötter disp. cit. disp. Select. Tom. III. p. 504. sq. & O. D. Georg. Heinr. Götzeii disp. de quatuordecim Opitulatoibus th. II. §. 7. p. 11.* Sed relinquamus Pontificios superstitiosos ineptæ suæ superstitioni, & potius, quid antiqua armati Equitis, Draconem interficientis, pictura sibi, ex mente nonnullorum, velit, indicemus. *Mamphrasius nempe in Praxi Theologica p. m. 411. sq. illam pro ingenioso officii magistratus emblemate venditat, scribens: S. Georgius est typus vere heroici gubernatoris ad defendendam rempublicam, qui non modo singularibus donis ad gubernandum instructus est, sed etiam singulari auctoritate ac felicitate a DEO est ornatus &c., mox quoque cuncta picturæ hujus momenta rite explicans, his verbis: (I.) ut Rex iste, cui Georgius opem tulit, suis viribus & consiliis Draconem, omnia vastantem, non poterat e medio tollere; ita Magistratus, h. e. Reges, Principes & Gubernatores politici oppressæ reipublicæ opem ferre nequeunt, nisi a viro, heroica fortitudine & felicitate prædito, adjuti fuerint. (II.) Filia Regis est Politia s. respublica, quo pœnate significatum est, Reges, Principes & Gubernatores politicos non aliter debere rempublicam amare & fovere, quam Pater solet suam unicam filiam diligere. (III.) Draco significat omne genus calamitatis, ac pestis, qua oppressa est politia s. respublica. (IV.) Quod Georgius istro opem fert Regis filia, destinata Draconi, & regnum ab isto portempto & peste liberat, significatum est, heroicum Virum immenso quodam studio liberandæ reipublicæ, ac re-*
stau-

stauranda publica tranquillitatis flagrare &c. A Mamphrasio non abludit Thulemarius in *Dissert. de ordine equitum S. Georgii Th. XIII, p. 15.* Quoniam itaque Georgii, Equitis, pugna imaginem Magistratus sistere dicitur, Russorum forte Monarcha inter insignia sua numerat *Equitem*, hastæ cuspide Draconem petentem. vid. *Adami Olearii Moscovitische/ und Persianische Reise-Beschreibung Lib. III, Cap. X, p. m. 220.* Ut ut autem litem hic nemini movere velim, nescio tamen, annon optimo jure pictura ista Georgii, Draconem adorientis, & vincens, eleganter adumbret Christiani pii certamen spirituale, quod ipsi cum Dracone infernali suscipiendum, & divinâ opè exantlandum est. Quemadmodum enim Eques, Georgius, Draconem immanem dicitur superasse, ita quoque miles christianus, DEI armatus ope, Satanam profernere, enervare, atq; devincere potis est. Quicquid sit (quemlibet enim suo abundare sensu permitto) id propitia asseverari potest veritate, B. nostrum REUTERUM, Equitem extitisse militemque spirituales, qui cum Dracone infernali vice plus simplici in arenam descendit, eoque per DEI O. M. assistentiam semper evasit superior. Hinc dignus merito est, cujus vitæ curriculum recensatur, exemplumque illius, tanquam militis christiani fatis strenui, aliis imitandum proponatur. Prodiit nimirum beate defunctus dias in lucis auras Gustroviæ, Anno a Christo nato MDCXLIII; Patrem exosculatus est Virum prænobilissimum atque Amplissimum DN. NICOLAUM REUTERUM, Hypothecarium in Zelendorff, quippe qui post Deum, huic Nostro, una cum duobus Fratribus præstantissimis, altero JOHANNES REUTERO, Serenissimi olim Ducis Mecklenburgici, GUSTAVI ADOLPHI, p. m. Consiliario intimo, altero

altero HARTWIGO REUTERO, Ducis Mecklenburgici Præfecto Stavenhagensi, vitam dedit naturalem.

Mater ipsi contigit fœmina ornatissima, omnibusque sui sexus virtutibus insigniter conspicua, ELISABETHA NEGENRATHS. Avum paternum laudavit NICOLAUM REUTERUM, Aviam vero ILSABE Schmiedes / Avo materno gavisus est FRANCISCO NEGENRATH, Avia autem, MARTHA MULLERS. Quemadmodum itaque pii Parentes nihil habent prius nihil antiquius, quam ut infantes per sacrum baptismi lavacrum à sordibus peccatorum abluantur; ita sollicita optimorum Nostri hujus Parentum cura eo pariter tendit, quandoquidem absque omni interjecta mora, prolem suam regenerari, atque ut membrum corporis mystici Christo, capiti, inferi curarunt. Mox, ubi fari didicit, privatae Præceptorum fidelissimorum institutioni, tenellus traditus est infans, postmodum, crescente ætate & rationis usu, dexterrimorum tunc Gymnasii Gustroviensis Moderatorum, M. ANDR. GODOFREDI AMMONIJ, Rectoris, (postea S. S. Theol. Licentiati, & Superintendentis Wunstorpiensis), nec non M. DIETERICI LÜZOVII, Sub-Rectoris, fidei concreditus, sub quorum manu ductione egregia, prima Studiorum fundamenta posuit. Cum itaque ad altiora contendere, Gymnasiumque Gustroviense cum Academia commutare animum induxisset, svasu hortatuque prælaudatorum Virorum perantiquam nostram Varniacam petiit, albo universitatis inscriptus Anno 1676, Zeptra academica tenente illustri DN. HEINR. RUDOLPHO REDEKERO, Juris Utr. Doctore, & Antecessore publico celeberrimo, nec non Serenissimi Ducis Mecklenburgici Consiliario intimo, Viro & eruditionis & meritorum gloria

gloria maxime conspicuum. Neque hic otiosum, sed maxime negotiosum se præbuit, helluonem potius scientiarum, quam amatorem agens. Quoniam enim Studio se juridico manciparat, non destitit tam publicis quam privatis Doctorum ac Professorum Juris excellentissimorum prælectionibus interesse, & arva sua illorum rore exoptatissimo rigare. Præ cæteris se formandum tradidit prælaudato DN. REDEKERO, quippe cujus ædibus, convictu, & informatione usus est, specimina quoque eruditionis haud vulgaria sub ejusdem moderamine, Disputationes innuo duas, *primam de Usufructu, alteram de Tutelis*, summo cum totius auditorii applausu, edens, ac mascule defendens. Tantam quoque B. Consilarii sibi conciliavit benevolentiam, ut aditus ipsi liberrimus ad instructissimam Hospitis Bibliothecam pateret. Præter REDEKERUM, audivit Viros t. t. undique celebratissimos, nominisque famam immortalē indeptos, D. GEORGIUM RADOVIUM, Codicis Professore, & Syndicum provincialem fulgidissimum, postmodum Lubecæ Syndicatus spartæ admotum, nec non D. JOHANNEM SIEBRANDUM, Juris Canonici Antecessorem dexterrimum. Absoluto in Alma Rostochiensis integro, & quod excurrit, triennio, alia quoque musarum emporia visitare in deliciis habens, jenensem salutavit universitatem, sedens hic per biennium ad pedes Gamalielum consultissimorum, JOHANNIS STRAUCHII, FRIDERICI SCHROEDTERI, FALCKNERI, BAIERORUM, & aliorum. Redux factus in Patriam, virtutis splendorem emisit plane insignem, adeo ut omnium, saltem honestissimorum, in se derivaret amorem, favorem, æstimum. Hinc generosissima Vidua de VIEEREGGEN, S. Regiæ Majestatis

B

statis

statis Daniæ Generalis Majoris, & Consiliarii intimi
 Meklenburgici, Hæreditarii in Rossewitz, Subzien,
 Zapkendorff, Minendorff & rel. & rel., pariter atque
 Generosiss. DN. de LEHSTEN, Consiliarius provin-
 cialis Meklenburgicus, dignum eum judicarunt, quem
 suis, in spem Patriæ tunc nascentibus, Filiis, Epho-
 rum præficerent præponerentque. Et certe spartam si-
 bi concreditam tanta ornavit dexteritate, tanta sustinuit
 fidelitate, tanta explevit ingenuitate, ut laboris collo-
 cati fructus in concreditam juventutem redundarent in-
 comparabiles. In vivis adhuc sunt, (faxit Deus quam
 diutissimè) vivi, omnique exceptione majores diligen-
 tiæ, fidelitatis, & sinceritatis Reuterianæ testes, Vir ge-
 nerosiss. DN. CAROLUS MATTHIAS de VIER-
 EGGE, Sereniss. ac potentiss. Regis Daniæ quondam
 Chiliarchus, Hæreditarius in Rossewitz, Levkendorff
 & rel. & rel., nec non Vir itidem generosiss. DN.
 VOLRATH PARIS de VIEEREGGE, Marschalli
 jubare coruscus, & supremus aulæ Minister haud pridem
 beate defunctæ Serenissimæ Principis Meklenburgi-
 cæ Viduæ, MAGDALENÆ SIBYLLÆ, Hære-
 ditarius in Zapkendorff, Minendorff & rel. & rel.
 Hi enim Duumviri, majorum splendore, proprio-
 que virtutum nitore maxime conspicui, manu-ductio-
 ne ac institutione *B. Reuteri* gavisi sunt, multumque
 se ipsi debere non diffitentur. Postmodum cum præ-
 laudato DN. *Marschallo de Viereggen*, alioque generosiss.
 fimo tunc temporis *Juvene de Lehsten*, ad Collegium
 Jesuitarum, quod *Hildesia* viget, excurrere jussus fuit,
 ubi *Beatus Noster* utriusque studiis, commodis, ac uti-
 litati sic prospicere studuit, ut nihil, quod commis-
 sum ipsi imperabat officium, in se desiderari passus
 unquam

unquam sit. Absoluto hocce negotiorum cursu, *beate Defunctus* desiderio flagrare cœpit, peregrinas visitandi oras, ac diffitas orbis regiones perlustrandi, sed non desiderio tantum cœpit flagrare, verum etiam mox eidem satisfacit, præcipuas Europæ Provincias, per tempus bene multum, peragrans, ac quoque urbem undiquaque celebratissimam, Lutetias innuo Parisiorum, inspiciendo, ibique satis diu commorando. Reverso domum, patriosque lares repetenti, ultronea affulsit occasio, novum instituendi iter, novumque pondus suis studiorum profectibus elegantissimis adji-
ciendi, ex gratiosissima enim Serenissimi Ducis Meklenburgici, GUSTAVI ADOLPHI, p. m. (quem sera lugebit posteritas, donec erit), Domini sui clementissimi, voluntate, Fratri suo Germano, illustri ac Consultissimo *Joh. Reutero*, prælaudati Principis Consiliario intimo, qui in Angliam, Galliam, Bataviam, præsertim Noviomagum, ubi tunc notissimum pacis negotium agebatur, pariter atque ad aulas Electorum & Principum Germaniæ, legatus mittebatur, individuus hæsit comes, id quod ipsi ad noscendos varios variarum nationum mores, lingvarum fundamenta, diversa ingenia, Leges & rerumpublicarum formas, insigniter profuit, uti *B. Petrus Mascovius in Pro-grammate, B. Reuteri disp. inaugurali præmisso*, loquitur. Licuit ipsi inter alia tam esse felici, ut, cum prædicto Fratri ipsius, Legati munere functo, Anno 1677. die 4. Decembris, aditus ad Regiam Majestatem Britannicam clementissime concederetur, Hic Noster una palatium regium ingressus, alloquium Legati humillimum, & responsum Regis benevolentissimum auribus percipere, pariter atque reliquas ceremonias, pompamque, in ta-

libus casibus s̄vetam, oculis usurpare potuerit. Gemi-
na ipsi *Parisis* fortuna contingit, cum memoratus Con-
filiarius intimus, durante *Noviomagii* negotio pacis,
comitatus *Nostro*, *Lueticas Parisorum* ablegaretur, ibique
in conspectum Galliarum Monarchæ prodire juberetur.
Præterea eum ex emensis itineribus tam multis, tam
diversis, reportavit fructum, ut in religione nostra Ev-
angelica (quæ etiam a Restauratore puræ doctrinæ
dexterrimo, *Luthero*, audire solet *Lutherana*) egregie
confirmaretur, & confortaretur. Inspiciens enim vice
plus simplici superstitionum, quæ in papatu vigent,
atrocissimarum copiam, idololatriæ sceditatem, abu-
suum multitudinem, hæc cuncta auersari & una cum
iis fidem Pontificiam cane pejus & angve fugere didicit.
Conversatus quoque quam sæpissime cum Patribus Je-
suitis, *Ignatii Lojola* nepotibus, Antecessore suo dignis,
qui jure pro columna regni pontificii habentur, eorum
artes, technas, fraudesque, pro ea, qua polluit, & xi-
volos facile perdidit, sicque conatus eorum, ad perver-
tendum & ad castra sua pertrahendum Hunc Nostrom,
nunquam non elisit, irritosque reddidit. Specimen suæ
in evangelica religione constantiæ singulare edidit *Co-*
lonia. Cum enim heic morbo gravissimo decumbens,
lectoque affixus, a Patribus tam Jesuitis, quam aliis, ma-
ximo numero undique confluentibus, gravissime ve-
xaretur, atque ad turpem extimularetur apostasiam, *No-*
ster s̄vasionibus illorum perniciosis aures vacivas præ-
bere detrectavit, certissime professus, se, mundo va-
ledicere jussum, evangelicam appetiturum mortem,
atque, instar ipsius gloriosissimi Romanorum Impera-
toris, *Caroli V.* (de quo legendus est *B. Joh. Frid. Mayerus*
in de Morte Caroli V. evangelica, disp., Trega disp., p. m. 109.
199.)

sqq.) solo Christi Servatoris merito nixum, decessurum esse. DEO interim vitæ necisque Domino placuit, *Nostrum* exoptatæ restituere sanitati, ac Suis tandem ex voto reddere, qui, quoniam tot tantasque proficiendi occasiones in usum suum convertendo, maximam sibi variarum rerum peritiam acquisiverat, adeoque aptum se, ad inserviendum Principi, Patriæ, Proximo, reddiderat, certissimam a Serenissimo Principe indeptus est promissionem de munere publico, ipsi aliquando conferendo. Ne vero interea temporis talentum, sibi a summo Numine concessum, sepelire velle videretur, ephoriam ac curam Per-Illustrium DNN. BARONUM JUNIORUM AB ERLenkAMP sibi imponi passus est, atque hanc spartam ex voluntate per-illustris DN. Parentis (qui tunc Reverendissimi Electoris moguntini nomine Hamburgi residebat) per integrum triennium egregie ornavit. Inde consilium cepit laudatissimum, ad eruditionis, quem diu promeruerat, gradum æquis contendendi passibus, sicque viam sibi ad honestissima negotia præmuniendi. Academiam itaque Gryphicam accessit, ibique FCTi Juridicæ laudatissimæ nomen professus, talem se præstitit, qualem eum quilibet judicavit, quandoquidem Anno MDCLXXXIII, exantlato examine sveto, habitisque lectionibus cursoriis, sub præsidio B. D. PETRI MASCOVII. J. U. Doct. & Antecessoris, Consistoriique Regii Assessoris, haud adeò pridem defuncti, solennem ac inauguralem, omnium cum applausu, ventilavit *Disputationem*, de eo, quod justum est circa ventam ætatis, sic satis eruditionis suæ, multo sudore & labore comparatæ, divitias deducens in apricum, cunctorumque exponens conspectui. Audiamus, qui optimus in hac re testis esse

esse potest, ipsum B. MASCOVIUM, Fctis tunc juridicæ Decanum spectabilissimum, ita in *Programmate*, Disp. inaugurali præmissio, scribentem: *Ad Almam nostram Grypticam pervenit, Collegioque suo nomen professus, licentiam concedendi supremos in utroque jure honores, ea, qua debuit, modestia, petiit. Admissus tum ad privata examina, qua rigorosa à nobis vocantur, tum ad publicas lectiones, quas frequenti auditorio Candidatus hic noster habuit, utrobique eruditionis & doctrine præclara edidit specimina.* His cunctis itaque rite peractis, urbem repetiit patriam, nempe *Gustrovium*, ibique nobile Advocationis officium ambiit, ac suscepit, matrimonium quoque primum rite contrahens, uti postmodum, filo recensiois nostræ ita jubente, enarrare non pigrabor. Quemadmodum verò jam diu publici alicujus muneris spes ipsi facta fuerat certissima, ita quoque promisso respondit eventus speratus, quoniam Anno MDCLXXXVI. ab utroque Principium Meklenburgicorum, CHRISTIANO LUDOVICO, & GUSTAVO ADOLPHO, illo Sverinensi, hoc Gustrovienfi, *Pronotarii* in judicio provinciali, quod hodiè Gustrovii floret, provincia ipsi clementissimè deman data est, cui quoque muneri per triennium insigni sedulitate ac laude præfuit. Post exactos verò duos annos, An. nim: MDCLXXXIIIX. à prælaudato GUSTAVO ADOLPHO, Duce suo gratiosissimo, *Fiscalis* judiciorum Ducalium gratiosissime constitutus est, in qua functione non solum Anno MDCXCVII. à Serenissimo FRIDERICO WILHELMO, p. m. confirmatus, sed etiam, novo gratiæ augmento accedente, An. MDCCIV. *Consiliarii Fiscalis* dignitatem consecutus est, sicuti etiam Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus CAROLUS LEOPOLDUS, hodiè Dux regnans Meklenburgicus

gicus, (quem Rex cœlestis omni principali benedictionis cumulo beet, coronetq;) *Nostrum*, tanquam Confiliarium suum Fiscalem clementissime agnovit, agnoscique voluit. Ubi id, memoratu plane dignum, silentii peplo involvere nec possum nec volo, B. REUTERUM quatuor Principum Meklenburgensium, CHRISTIANI LUDOVICI, GUSTAVI ADOLPHI, FRIDERICI WILHELMI, & CAROLI LEOPOLDI Ministrum extitisse, & ita se temper gessisse, ut fide in *Dominos suos* nemini fuerit secundus, multos post se reliquerit, vitam potius, dum viveret, quam obsequium humillimum depositurus. Verum enim vero domesticam quoque vitæ rationem, quam BEATUS REUTERUS inivit, lustremus oportet. Postquam nimirum exantlatis Gryphiswaldiæ eruditionis haud proletariæ speciminibus, Gustrovii Juris Practicum solertissimum agere, incepisset, mox quoque An. MDCLXXXV. thori sibi Sociam elegit virginem prænobilissimam ac cunctis sexus tœminei virtutibus ornatissimam, DOROTHEAM SCHUCKMANNIAM, Filiam Viri Summe Venerabilis, atque Excellentissimi Domini HERMANNI SCHUCKMANNI, SS. Theol. Doctoris, & in Acad. Rostoch. primum Professoris Publ. Ord., postea Districtus Gustrovienfis Superintendentis, & Serenissimo Principi GUSTAVO ADOLPHO a Concionibus aulicis, & Confessionibus sacris, quem Virum ob raras dotes ipse Princeps tanto mactavit honore, ut non solum domum ejus quam sapiissime una cum Coniuge Serenissima & Principibus junioribus, præsentia illustrissima condecorarit, sed etiam funus demortui in propria Serenissima persona comitatus fuerit. Hoc vero matrimonium cum *Schuckmannia* non fuit sterile, sed variis pi-

gno-

gnoribus donatum, quandoquidem ex eo, per divinam benedictionem, octo, non tamen omnes hodie adhuc superstites, prognati sunt surculi, nempe ILSABE MARGARETHA, jam diu iterum denata, prænob. & consultissimus DN. HERMANNUS REUTERUS, J. U. Candidatus & Cancellariæ Ducalis Advocatus & Procurator Ord. meritissimus; JOHANNES, nec non ANDREAS, jam demortui; Nobiliss. ac Doctiss. DN. NICOLAUS REUTERUS, Wismariæ, tempore sequestrationis, (quam vocant), ex autoritate Sacræ Regiæ Maj. Maj. Danicæ & Britannicæ, in supremo Tribunali regio a scribendis rebus secretioribus, jam alibi honestissima munia ambiens, cui prosperum successum ex imis præcordiorum thalamis apprecor; per-eximius DN. ADOLPHUS REUTERUS, qui rei familiari curandæ deditus, hodie præfecturæ Stavenhagensis Secretarium agit; tum Virgines Præ-Nobilissimæ ac virtuosissimæ, SOPHIA MAGDALENA, & CATHARINA DOROTHEA. Sicut itaque tres liberi Parentem suum in emigratione ad alteram vitam præcesserunt; ita quinque adhuc per DEI gratiam in vivis sunt, & Genitoris sui olim honoratissimi, jam desideratissimi, obitum ac abitum acerbis prosequuntur suspiriis, lacrymisque. Pacatum autem extitit Beati cum sua *Schuckmannia* conjugium, cum nulla reconciliatione opus fuit, quia nulla simultas exorta fuerat, at, quod pacatum extitit, non extitit diuturnum, DEO enim summo ita disponente, conjux amantissima in morbum incidit vehementissimum, in morbum incidens, lecto affixa fuit per viginti duarum Septimanarum decursum, lecto affixa vitam cum morte mature quidem sed beate commutavit, animam DEO, qui eam dederat, pie red-

reddens; Anno Christi MDCC. die 12. Novembr., ætatis quadragesimo primo, ubi id insimul commemorare lubet, pietissimam hanc fœminam eodem die, quo conjugium inierat, die sc. 12. Novembris, in cœlestia commigrasse domicilia, atque in amplexus Sponsi sui cœlestis Jesu Christi, ruisse. Sic *Beatus Consiliarius*, jacturam suæ Sociæ faciens, tristitia, animique mœrore intensissimo, fuit affectus, tam optimam, tam præstantem, tam probam fœminam, deflens, memoriamque ipsius semper illibatam servans. Licet autem per septennium egisset Viduum, Senectus tamen quotidie accrescens, aliæque causæ prægnantes, *Beatum Nostrum* eo permoverunt ac perduxerunt, ut ad secunda transfiret vota, ac vinculo conjugali sibi devinciri curaret Virginem Præ-Nobiliss. atque virtutibus fœminei Sexus elegantissimis summe conspicuam, Dominam ILSABEN PETERSENIAM, Filiam Viri Consultissimi atque Amplissimi DN. MATTHIÆ PETERSENI, J, U, Licenciati, & Cancellariæ Meklenburgicæ Secretarii, quæ adhuc hodie per DEI O. M. clementiam superstes est, ac, una cum liberis mœstissimis, obitum B. Mariti deplorat. Ex hoc tamen conjugio, satis alias felici, *Beatus noster* nullam suscepit prolem, Quam piè *Beatus Noster* in conjugio suo se gesserit, quam conjunctissime ac amantissime cum utraque Conjugum mellitissimarum vixerit, testantur omnes, loquitur modo nōminata Vidua mœstissima, nihil enim prius habuit nihil antiquius, quam concordiam colere, pacem sectari, ac amoris rivulos in vitæ Socias, quas successivè duxit, derivare. Liberos ab ipsis incunabulis pietati assveface-

C

re

te in deliciis habuit, temper illius Paulini memor. *Patres educate liberos vestros in Disciplina & admonitione Domini, Eph. VI. 4.* Hinc eos non solum probis Præceptoribus formandos commisit, sed etiam ipse quotidie Gatechismum B. Lutheri cum illis tractavit, quaestiones inibi contentas proponendo, responsiones elicendo, atque cuncta, ut eo firmiter memoriae inhaerent, perspicue enodando. De cætero Studiorum ac vitæ genus liberæ Filiorum electioni reliquit, ad id unum tantum severe ac iterum iterumque hortatus, ut, quicquid essent electuri, ex fundamento ediscerent, neque se hoc in passu segnes ac desides præberent. Ich lasse Euch (ita optimus Parens natos suos solebat compellare) euren Willen / lernet was ihr wollet / aber was ihr lernet / lernet aus dem Grunde und tüchtig. Nullis quoque sumptibus, qui ad Studiorum culturam requirebantur, unquam pepercit, sed tanto animi prolubio expensas istiusmodi fecit, ut amor inde plus quam paternus clare eluxerit, ambiguumque sit, an liberalitas, an hilaritas palmam reportarit. Laudant hanc munificentiam Cognati, æstimant Amici, mirantur Liberi, in coelum vehunt Filii, ejus gratiam memoriam æternum custodituri. Quemadmodum autem Domesticos suos, præsertim natos natasque, perpetuis exhortationibus, velut calcaribus quibusdam, ad genuinum pietatis exercitium exstimulavit, ita exemplo quoque egregio præire, viamque, quam, se duce, ingredi deberent, quasi præmunire allaboravit. Sane congressibus publicis summa animi oblectatione semper interfuit, neque procellæ impetu, neque pluvie vehementi.

hementia, neque aliis incommodorum generibus inde abstractus. Diceret eum alterum *Davidem*, cujus cum Davide symbolum huc redibat: *Jehova amo habitaculum domus tua, & locum habitaculi gloriae tuae, Ps. XXVI. 8.* Ipse ego nunquam ejus praesentiam desideravi, sed in aede Johannis, in qua cultus publici exercitio vacare amabat, illum semper e regione deprehendi stantem, attente audientem, ac neutiquam delassatum, miratus vice plus simplici, Senem proVectae aetatis, hyemae dominante, artusque frigore corripiente, inter primos & ultimos in Templo fuisse. Praeterea privatim quoque Deo servire non destitit, sed precibus hymnisque tutelae divinae se suosque commendavit, impensissimè delectatus non tantum Cantilenis germanicis, ac ex illarum numero praesertim sequentibus: *Mitten Wir im Leben sind &c. / Christus der Uns selig macht &c., In allen meinen Thaten &c., Herr Jesu Christ wahr Mensch und Gott &c.*; sed etiam latina, qua semper, flexo in *in vesperam die*, uti consuevit:

*Christe, qui lux es & dies,
Noctis tenebras detegis,
Lucisque lumen crederis.
Lumen beatum predicans.*

Maxima pariter ac tacita perfusus est voluptate, si de rebus divinis sermones facere, aut de illis cum Ministris ecclesiae colloqui liceret. Libros precum, aliosque sacros, usibus quotidianis dicatos, studiose perlegit,

perlectos lineis distinxit, distinctos relegit, relectos in succum convertit & sanguinem, eo omnes intendens nervos, ut quotidie voluntatem Dei rectius perdiceret, atque exequeretur. Festa, quæ in ecclesia nostra celebrantur, tempora impensissimo solebat gaudio excipere, Appetentibus Adventus & Nativitatis feriis, quasi extra se positus, beneficia Dei meditari ac seria secum pensitatione æstimare solebat, canens præcipuè illud: *Veni Redemptor Gentium &c.*, ac ingeminans precatiunculam:

*Genitori, Genitoque
Laus & jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit & benedictio,
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.*

Appropinquante tempore passionali, quo passionis Christi cruentæ, ac mortis in cruce secutæ, memoria pie solet recoli, intensissimo replebatur gaudio, ac lætitia, gratissima perpendens mente, Salvatorem benignissimum, sui oblitum, salutem nostram, non auro & argento, sed pretioso suo sanguine, reparasse ac restituisse, uti divus Petrus testatur *1. Petr. 1. 18. 19.*, & ecclesia nostra, verba præeunte *B. Luthero in Expositione Artic. 11. Symbolici Apostolici*, profitetur. Lætitia itaque exultans, quotidie, post peractam precatio-
nem matutinam, sequenti cantione uti gestiebat:

*Patris Sapientia, veritas divina;
 DEus homo captus est hora matutina;
 A notis discipulis cito derelictus,
 A Judæis traditus, venditus, afflictus &c.*

singulari mentis ardore ultima ejus recitans verba :

*Has horas canonicas cum devotione,
 Christe, Tibi recolo pia ratione,
 Ut qui pro me passus es amoris ardore,
 Sis mihi solatium mortis in agone.*

Mira præterea dulcedine animam *Beati* demulcebat, ac
 reficiebat, meditatio sacra, quæ *Mantuae* in *Æde Francisci*
 visitur & legitur, de extremo judicio agens, &
 sic incipiens :

*Cogita anima fidelis;
 Quid respondere velis
 Christo venturo de cælis;
 Cum à te poscet rationem
 Ob boni omissionem,
 Et mali commissionem &c.*

Incredibile est, quantum voluptatis sensum sequen-
 tia ipsi verba excitarint :

*Quid sum miser tum dicturus ?
 Quem Patronum rogaturus ?
 Cum vix justus sit securus.
 Rex tremenda majestatis;
 Qui Salvandos salvas gratis;
 Salva me fons pietatis.*

C3

Record

Recordare JESU pie,
 Quod sim causa tue viae,
 Ne me perdas illa die.
 Quarens me venisti lassus,
 Redemisti cruce passus.
 Tanti labor non sit cassus.
 Iuste Judex ultionis
 Donum fac remissionis,
 Ante diem rationis.
 Ingemisco tanquam reus,
 Culpa rubet vultus meus,
 Supplicanti parce DEUS.
 Qui Mariam absolvisti,
 Et latronem exaudisti,
 Mihi quoque spem dedisti.
 Preces mea non sunt dignae.
 Sed tu, JESU, fac benigne
 Ne perenni cremer igne &c.

De cœtero itinerum dulcedine afficiebatur maxima,
 non solum sapius eorum, quæ in terris peregrinis sive
 oculis sive auribus perceperat, læte recordatus, juxta
 illud *ἡλικὸν ἡλικῶν*: *Lucunda præteritorum recordatio*, sed
 etiam, si per officii, aliarumque circumstantiarum ra-
 tionem, ita licuisset, in alias iterum regiones excurrere
 non detrectans. Minime tamen meræ curiositatis ex-
 plendæ, sed mirabilium Dei operum pernoscentorum
 & celebrandorum gratia, in istiusmodi profectionum
 amorem rapiebatur. *Μοναχίας* sive *Soliloquia* nunquam
 non amavit & lectatus est, in solitudine sua campos,
 agros,

agros, arva, fata, pertransiens, peragrans, pererrans, non alia fini, quam ut undique omnipotentiae divinae vestigia, benignitatis documenta, sapientiae monumenta, rimaretur, contempleretur, miraretur, deprædicaret. Mox versis superne oculis, in vasta coeli corpora obtutum fixit, probe callens, *cosmos enarrare gloriam DEI, & firmamentum annunciare opus manuum ejus Ps. XIX. 2.*, mox lumina in subjectam retraxit terram, æstivali ac verno tempore, de quo Poëta :

Omnia nunc vident, nunc formosissimus annus,

decorem ejusdem, ac miram rerum varietatem seriæ subjiciens considerationi, tandemque cum sacerrimo Davide hanc cogitationum summam faciens: *Quis mihi in coelis? & præter te nulla re delector in terra, Ps. LXXIII. 25.*, id quod LUTHERUS vertit: *Herr wenn ich nur Dich habe! so frage Ich nichts nach Himmel und Erde.* Licet autem solus interdum ire præoptaret, haudquaquam tamen conversationem, ac consuetudinem humanam penitus averfatus est, haudquaquam colloquium cum Amicis amicum fugit, haudquaquam omni familiarium consortio se subduxit, monuimus enim jam antea, eundem discursuum sacrorum amore arfisse, cui jam, veritate ita exposcente, addere tenemur, consortium cum eruditis ac piis ipsi semper curæ fuisse cordique. Alias quoque rerum curiosarum, ac historicarum alliciebatur an ceitate, rerum publicarum sic viciffitudines, regnorum incrementa & decrementa, regionum fata populorum fortunam, tacite secum reputans, animoque volvens, & revolvens. Huic indaga-

dagationi horas subsecivas, quæ forte à negotiis officii gravissimis vacabant, dicare, otiumque sic suum ad optimum negotium impendere solebat. Ita sane *Beatum cum Ambrosio in Epist. ad Sabin.* poterat ingeminare: *Nunquam minus solus sum, quam cum solus esse videor, nec minus otiosus, quam cum otiosus.* Vanitates hujus mundi, tanquam res lubricas ac incitamentum malorum, nauci habebat, & vilipendebat; adulationi, quam mundus proh! in consuetudinem, & cum consuetudine in laudem vertit, inimicus erat, sinceritati ingenuæ litans; Superbiam, vitium illud pessimum, cane ac angve pejus detestabatur, humilitati, juxta Spiritus S. præceptum, studens; Erga omnes erat sçavis, nemini gravis, paucis familiaris; Superiores decenti prosequatur veneratione, pares demulcebat conversationis jucunditate, inferiores recreabat humanitatis dulcedine. Officium, ipsi commissum, incomparabili executus est dexteritate, in Serenissimos Principes fidelitate, indelassata solertia, mira promptitudine, summa æquitate, nullis parcens laboribus, ut labores incumbentes perficeret, perageretque, noctes insomnes ducens, ut curis vigilibus satisfaceret, personarum respectum seponens, ut almæ justitiæ cursum promoveret, sceleratis infestus, ut scelera ex reipublicæ pomœriis proscriberet, oppressis succurrens, ut egestatem eorum sublevaret, innocentibus benè cupiens, ne vitæ benè actæ eos pœniteret. Erga pauperes ac egenos se exhibuit misericordem & beneficum, erga inimicos mitem & mansverum, erga amicos blandum ac jucundum, erga peregrinos ingenuum ac officiosum, erga quos-

quoslibet justum & probum. Si aduersitatum nebulæ, quarum plurimas expertus est, oborirentur, felicitatemque omnem spissis involvere viderentur tenebris, animum non despondit, sed semper mansit idem, patienter, quæ mutari non poterant, ferens, DEI, qui omnia moderatur, voluntati benevolæ se subjiciens, divinum in tribulationum æstu solacium, refrigerium, auxilium præstolatus, optimeque perpendens, per angusta contendendum esse ad augusta, per aspera ad astra. Summa: ita vixit, ut, quantum in se esset, à vitiis ac peccatis sibi caveret, infirmitates humanas agnosceret, & deprecaretur, in virtutum autem christianarum exercitium omne studium collocaret, atque operam. Firmam interim ac sanam corporis constitutionem Altissimus ipsi concesserat, ita ut cum morborum violentia parum per totum vitæ curriculum colluctatus, sed ad senium usque integris & corporis & animi viribus gavissus sit. O benignitatem Dei incomparabilem! ô pietatis præmium inæstimabile! Senectus in beneficiis Dei non minimis ponitur, cum liberis morigeris, redhostimenti velut divini loco, longævitas promittatur. *Ben Syræ* effatum propterea ita sonat: טבא בביתא סימנא i. e. *Senex in domo, signum bonum in domo.* At vero Senectus non nisi prospera, vegeta, ad voluntatem fluens, ac valens, intelligenda venit, cum senium ærumnosum, calamitosum, miserum, multisque doloribus, casibus tristibus, & malis obnoxium, merito pro castigationis divinæ quodam genere censeatur, æstimateurque. Quodsi jam inoffenso iterum pede ad *Beatum* regredimur **REUTERUM**, *fateri cogimur*, caniciem ipsius

D

pius

pius fuisse sanam valentem ac expertem incommodorum senilium, eamque sic pro gratuito probitatis sinceræ præmio, à cœlesti bonorum omnium Distributore admenso, non posse non haberi. Fidelissimus DEI Servus, Moses, *Pf. XC. 10. In diebus annorum nostrorum, ait, sunt septuaginta anni, & si in extensionibus fuerint, octoginta anni.* Sic itaque Noster summum propemodum conscendit fastigium, septuaginta annis superior, ad octoginta prope accedens. Sic non in medio dierum cursu abreptus est, sed terminum vitæ, ipsi à divina Sapientia constitutum, feliciter attigit. Sic canam DEI benignitatem cano capite venerari, posterisq; nunciare potis fuit. Verum enim vero, quem hæcenus divina servarat clementia, haud pridem morbo affectus fuit lethali, vires corporis enervante ac prosterneute. Sentiens itaque, ultimum adventare vitæ finem, mundoque esse valedicendum, ad instantem se mortem intrepide præparare allaboravit. Hinc ad DEUM, instar *Hiskia*, se convertit precibus ardentissimis, non vitam longiorem, sed beatam *ἀνάλυσιν* expetitum. Hinc peccatorum suorum veniam suspiriis intensissimis efflagitavit. Hinc serio de delictis notis ignotisq; doluit. Hinc ad vulnera Christi confugit. Hinc omnem in summi Numinis benignitate merito Salvatoris parta, spem collocavit, ac fiduciam. Hinc sacro sibi viatico prospexit, & sacra cœna devotissime usus est. Hinc accersitis ad se Liberis amantissimis benedictionem impertitus est paternam, divinæ protectioni curæque eos commit-
tens

tens, cuncta & animæ & corporis bona iis adprecatus, illosque, ut in Stadio pietatis perpetim pergerent, severe adhortatus. Cum vero extremum certamen esset subeundum, denuo ad se accersivit, qui non solum sacro epulo eum antea refecerat, sed sæpius quoque sacris sermonibus recrearat, Confessionarium suum, Virum Admodum Rev. Ampliff. atque Excellentiff. DN. PETRUM BEKKERUM, Phil. Mag. Matth. Profess. Publ. Ord. celeberrimum, ac ad ædem Jacobi Pastorem vigilantissimum, Fautorem ac Collegam nostrum æstumatissimum, accersivit, inquam, eum, ac solatium verbi divini anhelavit. Tum *Hic* ægrotum accedens, eundem sic compellare: *Turbabor, non perturbabor, quia vulnere Jesu recordabor,* adhæc quoque, præter alia adversus mortis impetum remedia, cantico illo, à B. REUTERO admodum deamato: *HERR Jesu Christ wahr Mensch und GOTT /* fessam animam rigare; *Ægrotus* verò, quantum vires attenuatæ permittebant, linguaque balbutiens effari poterat, respondere, medelam propinatam acceptare, variaque addere, e.gr. *Christus ist mein Advocat, mein Fürsprecher und Defensor.* Cum postmodum ex hymnis passionibus Dn. Confessionarius verba præiret, *Ægrotus* non tantum cuncta ardentissime repetiit, reddiditque, sed quoque ipse proprio motu erupit: *Wer Gottes Marter in Ehren hält und oft gedencet der sieben Wort /* des will *Gott* eben pflegen &c. Tandem seriatim iterum pœnitentia peccata sua detestatus, ac Salvatoris merito innixus, certissima lætabatur fiducia

cia, se singularum transgressionum impetrasse veniam, ne unica quidem excepta. Domino Confessionario itaque hoc confirmante, moribundus, inter benedictionem sacerdotalem, preces quoque atque lacrymas Suorum, animam beate exhalavit, ac mortalitatem hanc cum immortalitate ex voto commutavit, rationis ad ultimum usque vitæ halitum compos, ac die 1. Decembr., anno ætatis septuagesimo octavo, in cœlestia domicilia receptus. Ut autem morbi genus, quod Beato Consiliario vitæ finem fecit, innotescat, audiamus Prænobilissimum atque Experientissimum DN. SCHAPE-
RUM, Med. Doctorem fulgidissimum, Practicumque dexterrimum, Fautorem ac Amicum nostrum honoratissimum, quippe qui in consilium, vocatus, omnem in conservando & sanitati restituendo agro adhibuit curam & diligentiam. Ita vero verba Viri fluunt :

Morbis raris usque gravissimis Symptomatibus stipatus, quo per multas septimanas ille tentabatur, Febris Scorbutica continua erat, quæ licet B. N. vires satis audacter interdum aggredi, easque valide profertere videretur, neutiquam tamen in illum vim suam ita exercere potuit, ut Medicamentorum Virtus planè illuderetur, sed mortis ferè Candidatus omnem præter spem ille convulsit, ita ut, licet reliquam B. N. vitam valetudinariam, satis tranquillam tamen illam egerit. Cum autem nulla calamitas sit sola, sic quoque pari subjectus fato B. N. erat. Conquerabatur enim de
Tussi

Tussi vehementi, quam anxietates praecordiorum, Cephalalgia, & insignis virium prostratio concomitabantur. Huius malo etiamsi omnibus convenientibus remediis resistendi ac symptomata, quantum Medicamentis enisi poteram, mitigandi omnem darem operam, vis tamen morbi tanta erat, ut restituenda sanitatis spem non modo ancepsitem, sed symptomatibus iisque perniciosissimis supervenientibus, illam, quae adhuc supererat, planè irritam redderet. B. itaque Nostro viribus orbato omnibus inter tot ac tanta generosa Medicamenta supererat nullum, quod ferociam huius morbi exturbare, mortem fugare, ac illi longevitatem quasi ex Privilegio donare potuisset, sed B. N. non sine splendidissima familia jactura d. 1. Decemb. magnanimus mori occubuit.

Sic ergò rite certavit miles noster christianus, Dominus Confiliarius REUTERUS, ita vicit, ita triumphat. Jam cum illustrissimo Paulo lætans ovansque exclamare potest: Certamen bonum certavi, cursum absolvi, fidem servavi. Quod reliquum; reposita est mihi corona justitiae, quam dabit mihi Dominus in illa die, justus iudex, non tantum autem mihi, sed etiam omnibus, qui amant apparitionem ejus 2. Tim. IV. 7 8. Promissum egregium Christus dat Apoc. III. 21. : Qui vicerit, illi dabo, ut sedeat mecum in throno meo, quemadmodum Ego etiam vici, & confedi cum Patre meo in throno ipsius. O itaque ter quaterque felicem Confiliarium Nostrium! Hic enim vicit,

vicit. Hic, qui vicit, sedet jam cum exaltato Salvatore in throno gloriae, deque omnibus hostibus triumphum agit. Cum olim glorissimus Rex Sveciae, GUSTAVUS ADOLPHUS, in praelio cecidisset, regiumque fudisset sanguinem, monetæ cuidam sequentia verba legebantur impressa: *Stans: Acie pugnans: Vincens: Moriensque triumphat.* vid. B. Ziegleri *Schauplatz der Zeit* p. m. 1244. Perfecto idem lemma certo modo *Noster* meretur. Hic enim bonam militans militiam, triumphat *Stans*, nam stetit, Dei adjutus ope contra hostes spirituales, iisdem minimè cedens. Hic triumphat *acie pugnans*, nam sæpissime cum intensissimis inimicis, Diabolo, mundo, & carne, conflagere, ac aciem contra eosdem instruere debuit. Hic triumphat *vincens*, nam divina armatus virtute, totam adversariorum catervam superavit. Hic triumphat *moriens*, nam morte corporali abreptus, vitam æternam consecutus est, sicque triumphum agit lætissimum, triumphum gloriosissimum, triumphum æternum. *Vinit ex tribulatione magna, & lavit stolam suam, & dealbavit stolam suam in sanguine Agni.* Propterea est coram throno DEI, & servit ipsi dies & noctes in templo ipsius. Et sedens in throno habitat super ipso. Neque esuriet amplius, neque sitiet amplius, neque cadet super eum Sol, neque ullus astus. Quia agnus, qui in medio throni, passit eum, & deducit eum ad vivos fontes aquarum, & delet DEUS omnem lacrymam ab oculis ejus. *Apoc. VII. 14-17* Benignissimus autem Pater cœlestis, qui Viduarum se judicem ac Orphanorum Patrem vocare amat,

amat blandam benignitatis, protectionis, benevolentia, beneficentia, amorisque auram relictis, Viduae, Filiis, Filiabusque moestissimis, mœroreque confectis, ex alto adspiret, vulnusque, quod ipse infixit, sapientissime obliget, leniat, fanet. Ad Vos tandem, ad Vos, inquam, O Cives Academici O. O. honoratissimi, titulis vestris effulgentes, meritis corusci, dignitatibus gaudentes! mea se convertit oratio, ad Vos, Vos, inquam, meae diriguntur preces, velitis, quem in vita suspexistis, atque ob vitae integritatem admirari debuistis, in morte quoque vestro dignari favore ac charitate. Quodsi huic meae petitioni locum, ut nullus dubito, reliqueritis, in ultimo honore persolvendo segnes non deprehendimini. Confluite ergo, Cives! Confluite, ac comitamini funus, funus Jcti consultiissimi, funus Consilarii splendidissimi, funus Christiani sincerrimi, funus Viri integerrimi. Comitamini funus, ac hocce officiorum genere afflictæ familiæ solamen aliquod concedite, largimini. Solamen concedite, atque mortalitatis vestrae memoriam induite. Induite memoriam, atque ad ultimum iter ex mundo in cœlum, ex mari in portum, ex diversorio in patriam vos accingite.

Con-



Conventus instituetur hora I.
Pomeridiana in templo
Jacobæo.

P. P. Sub Sigillo Reſtorali
An. MDCCXXI. die
16. Decembr.





dagationi horas subsceivas, quæ forte
 cii gravissimis vacabant, dicare, otium
 ad optimum negotium impendere sol
Beatum cum Ambrosio in Epist. ad Sabin.
 nare: *Nunquam minus solus sum, quam*
deor, nec minus otiosus, quam cum otiosus.
 jus mundi, tanquam res lubricas ac in
 lorum, nauci habebat, & vilipendebat
 quam mundus proh! in consuetudine
 fvetudine in laudem vertit, inimicus
 ingenuæ litans; Superbiam, vitium
 cane ac angve pejus detestabatur, hum
 ritus S. præceptum, studens; Erga om
 nemini gravis, paucis familiaris; Su
 prosequabatur veneratione, parès deu
 sationis jucunditate, inferiores recrea
 dulcedine. Officium, ipsi commissum
 executus est dexteritate, in Serenissim
 litate, indelassata solertia, mira prom
 ma æquitate, nullis parcens laboribu
 cumbentes perficeret, perageretque,
 ducens, ut curis vigilibus satisfaceret
 spectum seponens, ut almæ justitiæ c
 ret, sceleratis infestus, ut scelera ex
 mœriis proscriberet, oppressis succur
 tem eorum sublevaret, innocentibus b
 vitæ benè actæ eos pœniteret. Erga
 nos se exhibuit misericordem & benefi
 cos mitem & mansuetum, erga amico
 cundum, erga peregrinos ingenuum a



quoslibet justum & probum. Si adversitatum nebulæ,
 quarum plurimas expertus est, oborirentur, felicita-
 temque omnem spissis involvere viderentur tenebris,
 animum non despondit, sed semper mansit idem, pa-
 tienter, quæ mutari non poterant, ferens, DEI, qui omnia
 moderatur, voluntati benevolæ se subjiciens, divinum
 in tribulationum æstu solatium, refrigerium, auxilium
 præstolatus, optimeque perpendens, per angusta con-
 tendendum esse ad augustum, per aspera ad astra. Summa:
 ita vixit, ut, quantum esset, à vitiis ac peccatis
 sibi caveret, in manus agnosceret, & de-
 precaretur. Christianarum exercitium
 omnem operam. Firmam
 constitutionem Altis-
 morborum violentia
 colluctatus, sed
 & animi viribus
 incomparabilem! ô
 in beneficiis Dei
 miseris, redhosti-
 mittatur. *Ben*
 סכנא בכיחא סימנא
 , signum bonum in domo.
 prospera, vegeta, ad volun-
 tatem, intelligenda venit, cum senium
 ærum calamitosum, miserum, multisque do-
 loribus, in malis obnoxium, merito pro
 castigationis divinæ quodam genere censeatur, æstime-
 turque. Quod si jam inoffenso iterum pede ad *Beatum*
 regredimur REUTERUM, *fasci cogimur*, caniciem i-
 D psius

